



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Catalogus Episcoporum Hildesiensium**

**Letzner, Johannes**

**Hildesheim, [ca. 1690]**

XLIV. Bartholdus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64252)

pluribus votis Hermannum Hassiæ Landgravium superans, electus est Episcopus: sed arcibus ab æmulo occupatis diu exclusus, desertusq; exiit. Donec à Bartholdo Barone de Lansberg 49. Verdenfi Episcopo, cum 400. Equitum Comitatu, in urbem inductus, magnôq; gaudio Cleri, Senatûs ac Populi exceptus ac salutatus est Episcopus. Tandem ultro cedente Hermanno, ac postea ad Archi-Episcopatum Coloniensem promotus, post triennales turbas, septenni quiete gavissus fuit, ac deniq; laboribus & senio fessus Anno 1481. munus decennio gestum Bartholdo Verdenfi Episcopo cognato, de se & Diœcesi optimè merito transcripsit: ipse verò privatam vitam amplexus, omnibus pietatis officiis, & misericordiæ operibus, optimi Ecclesiastici & Præfulis exemplum reliquit. 7. Aprilis ante Altare D. Petri sepultus.

**XLIV. BARTHOLDUS.** Eruditione & juris peritiâ clarissimus Anno 1481. totus cataphractus, Wilhelmo & Friderico Ducibus Brunswicensibus honoris gratiâ stipatus, cum gaudio & plausu exceptus Civitatem intravit: variis deinde bellis gestis, ad pietatem restaurandam curas intendit. Annum 1490. Verdæ exegit, & coronidem fabricæ istius templi imposuit, cujus chorum Conradus 34. ejus loci Episcopus struxerat: ipse verò navem templi Anno 1473. cœptam, hoc Anno absolvit & consecravit. Deniq; senectute curisq; confectus, ac relictis passim in Diœcesi præclaris restitutæ religionis & pietatis vestigiis, ut ad supremam luctam meliùs se compararet, abiit è Diœcesi in arcem Rotenburgensem à se munitam, ubi spiritum DEO reddidit Anno 1503. Pridie

G

Ascen-

Ascensionis Domini, & in Verdensi Ecclesia locum quietis invenit, postquam Ecclesiæ illi Annis 33. Hildesienfi vero 21. laudabiliter præfuisse.

XLV. ERICUS Dux Saxoniae, Angariae & Westphaliae, Canonicus Metropolitanae Colonienfis, postulatus Episcopus Hildesienfis Anno 1503. magnâ pompâ à Nobilibus & Civibus in Civitatem introductus: paulò post Episcopatum resignavit, vel Capitulo Cathedrali consentiente, in Fratrem Joannem transtulit.

XLVI. JOANNES IV. Prædecessoris Frater eodem Anno 1503. ex eadem Saxoniorum Ducum familia in Cathedra Hildesienfi successit. Ex 24. Præfecturis, quæ nobilibus aliis oppignoratae erant, solum Steurwaldensem immunem incoluit, & frugalitate suâ tantum collegit pecuniæ, ut Lawensteinium à DD. de Sakderen, uti & alias nonnullas Satrapias ab aliis redemerit. Joannes & Dux Lunæburgicus in prælio victores, contra Brunswicenses Duces, Ericum captivum cepere, uti & Wilhelmum & Ernestum: verum hi pro lytro promisso dimissi, graviora belli incendia contra solum Joannem excitarunt, arcem Ruthensem exusserunt, Steinbrüggensem, Woldenbergensem, Lewenbürgensem, Peinensem aliasq; aut vi, aut præsidio sponte se dedente, interceperunt: Et Joanne à Carolo V. Banno subjecto, atq; à tractatibus excluso, Duces Ericus & Henricus victores Capitulo, Clero, & Nobilitati citatis Quedlinburgum certas pacis condiciones proposuere, Præfecturasq; inter se divisere. Deniq; Joannes cognito tractatum Quedlinburgicorum eventu suis valedixit,

&